

caturus erat Deum, Iohan. 21. d. 19.

*Censura*, Prior harum propositionum indistincte posita, captiosa est: posterior autem, falsa & erronea.

*Captionem*, cuius me inique insimulant, in Deo potius accusent, vel eius Propheta, cuius verba recito. Fateor Deum saepe benefacere indignis, in gratiã iustorum. Sed necesse tandem est vt impios apprehendat exitium, quod sibi accersere non desinunt. Mortuũ esse Petrum in hunc finem, vt Deũ glorificaret, clare Iohannes exprimit, Iohã. 21. d. 19. Cui subscribit & Paulus, Philip. 1. c. 20, perinde sibi esse dicens, modo Christi nomen tam morte quàm vita glorificet. Reclamant censores, quia sibi gloriam martyres sanguine effuso acquisierint. Solutio facilis est: vicissim à Domino sanctificari, qui eum sanctificant: & in fidelem redundare quem illi honorem cõferunt. Sed cum de primario fine quaeritur, aliter quàm in mea propositione habetur, loquendum esse nego. Neque enim mortem optat pro Christo, nisi qui sui oblitus, vnum hoc propositum habet, vt illustret Christi nomen. Verum in eo crassius desipiunt Sorbonici, quod

S

q. 1.